ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

JOH. CAR. LUD. GIESELER D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

GUILIELMUM FRANCKE D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Insunt

C. FR. HERMANNI ELOQ. P. O.

symbolae ad doctrinam juris Attici de injuriarum actionibus.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

MDCCCXLVII.

47

Collegarum suffragiis electus et ab Augustissimo Rege nostro clementer confirmatus Kalendis Septembribus Academiae habenas capesset vir illustris et consultissimus

GUILIELMUS FRANCKE D.

huic igitur ut omnes quorum interest ab illo tempore reverentiam summo magistratui debitam justaque obsequia praestent, hoc ultimo muneris mei decreto moneo et edico. Pluribus verbis commendandum vix arbitror, cujus adeo notae et illustres virtutes sunt, ut solum nomen praeclarissima quaeque sperare jubeat; unum igitur restat, ut salutem, incolumitatem, prosperitatem ei precer, Deumque optimum maximum orem, ut commune Academiae navigium, illo gubernacula tenente, a procellis tempestatibusque immune laetum ac frugiferum cursum tenere patiatur.

Mihi vero, quamvis temerarium sit in salutando viro juris peritissimo velut semipaganum de jure disputare velle, hac ipsa opportunitate uti liceat ad absolvendam disputationem, quam quum dudum vel literis vel amicis debere viderer, in Prooemio lectionum hibernarum indici praemisso ex parte tantum tractare potui. Provocavit enim me vir omni humanitatis et doctrinae laude insignissimus Johannes Bakius, Professor Lugdunensis, in epistola Scholicorum Hypomnematum volumini tertio praefixa, ut de subtilissimis juris Attici quaestionibus, quas ibidem diversa a receptis sententiis ratione tractare aggressus est, meum qualecunque judicium proferrem; quod

quum me commodissime cum nova scholarum de Demosthenis Midiana habendarum meditatione conjuncturum sperassem, qua ex oratione plurima illarum quaestionum argumenta desumta sunt, praeter exspectationem adeo materia accrevit, ut illius Prooemii angustiae vix uni προβολῆς judicio, quod ceteris pro fundamento esse debebat, explicando sufficeret. Nam quum Bakius disputationem suam ita instituisset, ut injuriarum actiones, quo in genere et Midianae argumentum et ipsius Bakii quaestiones maxime versantur, tanquam privatas προβολῇ tanquam publici judicii formae opponeret, de hac primum necesse erat ut, quid ille recte, quid secus contra doctissimorum hominum auctoritatem disputasset, quatenus liceret decerneremus; de ipsa ὕβρεως actione, sive illa privata sive et ipsa publica habenda sit, integra etiam nunc disputatio restat, cui quod has pagellas destinare quam humanissimae invitationi diutius deesse malui, idoneam excusationem habere arbitror. Ne tamen eam scriptionem, quae publica auctoritate edatur, totam privatae disceptationi dare videar, simulque eis, qui ab interiore harum rerum cognitione alieniores sint, velut aditum quendam ad hanc patefaciam, paulo latius excurrens totum hujus doctrinae campum ita amplectar, ut, si quid omnino circa injuriarum actiones inter hodiernos juris Attici auctores controversum habetur, illustrare coner; quumque *injuriam*, ut Pauli verbis utar, *aut in corpus aut extra corpus patiamur*, primum de conviciis verborumque injuriis, quae corpus non tangunt, paucis disseram, deinde vero ad corporis injurias transgressus quum universam earum actionum indolem, quibus jus Atticum hoc crimen persequebatur, tum eam rationem tangam, qua insignissimae ejusdem partes, verbera et stuprum, inter se continebantur.

I.

De verborum injuriis quanquam universe quum ab aliis tum a Platnero et Meiero, viris non minore juris quam antiquitatis notitia insignibus, abunde actum est [1]), duae tamen quaestiones restant, de quibus ambigi posse ipsa eruditarum sententiarum varietas ostendit. Nam quum satis et aliunde constet et Midianae loco recte intellecto confirmetur, damna verbis probrosis accepta quingenarum drachmarum mulcta compensari legitimum fuisse [2]), quaeritur quomodo huic instituto conveniat cum lege Solonia a Plutarcho memorata, quae eum qui in sacris vel judiciis vel magistratuum consistoriis vel certaminum publicorum spectaculis vivo homini male dixisset, quinque drachmis mulctabat, quarum tres privato, duae populo deberentur [3]); nec minor discrepantia occurrit inter illum Midianae locum, qui contumeliam magistratui coronato, hoc est potestatis suae insignibus ornato [4]), dictis factisve illatam capitis deminutione vindicatam esse testatur [5]), et militis

---

1) Cf. Petiti legg. Att. VII. 6, p. 641 ed. Wesseling., Salmas. Obss. ad jus Att. et Rom. p. 259 sqq., Herald. Animadvers. II. 13, p. 133 sqq., Heffter Athen. Gerichtsverf. p. 246, Meier u. Schömann att. Process p. 481 sqq., Platner Process u. Klagen T. II, p. 185 sqq.

2) Isocr. adv. Lochit. §. 3: *ὥςτε καὶ περὶ τῆς κακηγορίας νόμον ἔθεσαν, ὃς κελεύει τοὺς λέγοντάς τι τῶν ἀπορρήτων πεντακοσίας δραχμὰς ὀφείλειν*: cf. Lysias adv. Theomnest. I §. 12 et Demosth. Mid. §. 90: *ἀλλ᾽ ἵνα μὴ Μειδίας ἀτίμητον ἀγωνίσηται δέκα μνῶν δίκην*, quem non dubito cum Meiero et Hudtwalkero über die Diaeteten p. 150 ad duplicem actionem Midiae et pro matre et pro sorore Demosthenis intentatam referre. Nam quod Heraldus et Aug. Buttmannus de duplicata propter *ἐξούλης δίκην* mulcta cogitaverunt, ab hoc loco alienum est, ubi illud modo indicatur, quanti Strato Midiam damnaverit, nec verba *συνέβη δ᾽ ὑπερημέρῳ γενέσθαι κ. τ. λ.* in eam sententiam adhibere licet, quae tanquam praepostera ipse mox orator retractat: *ἀλλὰ μήπω ταῦτα.*

3) Plut. V. Solon. c. 21: *ζῶντα δὲ κακῶς λέγειν ἐκώλυσε πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων, ἢ τρεῖς δραχμὰς τῷ ἰδιώτῃ, δύο δ᾽ ἄλλας ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον ἔταξε.*

4) Cf. griech. Staatsalt. §. 124, not. 5; gottesd. Alterth. §. 24, not. 11.

5) Mid. §. 32: *ἴστε δήπου τοῦθ᾽ ὅτι τῶν θεσμοθετῶν τούτων οὐδενὶ θεσμοθέτης ἐστ᾽ ὄνομα ἀλλ᾽ ὁτιδήποτε ἑκάστῳ· ἂν μὲν τοίνυν ἰδιώτην ὄντα τινὰ αὐτῶν ὑβρίσῃ τις ἢ κακῶς εἴπῃ, γραφὴν ὕβρεως καὶ δίκην κακηγορίας ἰδίαν φεύξεται, ἐὰν δὲ θεσμοθέτην, ἄτιμος ἔσται καθάπαξ· διὰ τί; ὅτι τοὺς νόμους ἤδη ὁ τοῦτο ποιῶν προσυβρίζει καὶ τὸν ὑμέτερον κοινὸν στέφανον καὶ τὸ τῆς πόλεως ὄνομα κ. τ. λ.*

veterani exemplum apud Lysiam, qui quum legem de magistratibus in consistorio non lacessendis violasse videretur, nihilo minus sola mulcta damnatus est [6]); denique de hac ipsa lege ambigitur, eadem cum Solonia an diversa an omnino ne lex quidem fuerit, sed Lysias in causa oranda callide id, quod Solo de privatorum injuriis sanxisset, ad magistratus transtulerit. Nimirum in foro apud argentarium miles conquestus erat de iniquitate, qua se a Strategis tractatum existimabat; quod quum ad hos delatum esset, tanquam conviciatori mulctam irrogarant, eamque mulctam plerique hodie jure irrogatam esse defendunt [7]); ille vero negat, neque opinor injuria, si quidem his verbis concepta lex erat, quibus ille narrat, ut ad eos tantum pertineret, qui coram in consistorio magistratum insectati essent; itaque quaeritur, loci an magistratus laesi potior in hac causa ratio fuerit, an revera legem exstitisse consentaneum sit, quae quum magistratus peculiariter tueretur, eandem tutelam certorum locorum finibus astringeret? Ac Solonis quidem legem, quae de loco est, et mulctae exiguitas et hoc excludit, quod illa de omni homine non de magistratu agebat, quo Lysiae miles suam legem nominatim refert; quod nisi hujus verba cum Heraldo et Tayloro [8]) temere interpretando vel emendando detorquere libeat, illius legis is tantum usus esse possit, ut cum Meiero poenam ad magistratus laesionem referamus, oratorem vero per calumniam alienae legis cautiones huic causae perperam immiscuisse statuamus [9]); id ipsum tamen maximam illam difficultatem non expedit, quae in

---

6) Lysias pro milite §. 6: *οἱ δὲ μετὰ Κτησικλέους τοῦ ἄρχοντος, ἀπαγγείλαντός τινος ὡς ἐγὼ λοιδοροῖμι, τοῦ νόμου ἀπαγορεύοντος ἐάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ, παρὰ τὸν νόμον ζημιῶσαι ἠξίωσαν, ἐπιβαλόντες δὲ τὸ ἀργύριον πράξασθαι μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν κ. τ. λ.*, cf. Taylor. lectt. Lysiac. p. 314 sqq.

7) Solus Platnerus p. 190 mulctae locum fuisse negat, sed ut nihilominus poenam meruisse militem contendat: *der Sprecher bei Lysias hatte nun gegen den Feldherrn als solchen, obschon nicht an dem Orte seiner Amtsverwaltung, sich beleidigende Reden zu Schulden kommen lassen, und war demnach nicht nur straffällig, sondern auch nach der obigen Ausführung einer Schriftklage ausgesetzt, wenn auch die Epibole keine Anwendung fand.*

8) Heraldus certe etsi utramque legem adeo eandem censet, ut apud Plutarchum *συνέδριον* pro *ἀρχείῳ* substituat, tamen: *verisimile est*, inquit, *mulctam ei dictam graviorem quam lege Solonis erat constituta, fuisseque magistratuum arbitrio, quorum auctoritas laesa dicebatur, irrogatam;* Taylorus vero magistratus mentionem ita evitat, ut pro altero *τὴν ἀρχὴν* legi jubeat *ἐν ἀρχείῳ*, alterum interpretetur *omnino*, quod vel ideo ferri non potest, quia haec significatio negativis tantum enunciatis convenit; cf. Hermann ad Soph. Antig. v. 92.

9) Meier p. 483: *aber advokatenmässig verwirrt der Redner die dritte und die vierte Bestimmung der Gesetze über κακηγορία*, quem sequuntur Schelling de Solonis legibus apud oratores Atticos, Berol. 1842. 8, p. 132 et Hölscher de vita et scriptis Lysiae p. 74: *Polyaenus h. l. causidicorum more leges permiscet,*

eo cernitur, quod is, quem ex hac sententia vel capite deminui oportebat, ab ipsis magistratibus laesis sola mulcta affectus est; quod quum eam tantum explicationem habeat, ut arbitrio magistratuum relinquatur, utrum in mulcta irroganda acquiescere an legitimam infamiae poenam judicio persequi voluerint, haud scio an satius fuerit videre, num sine calumniae criminatione Lysiae oratio simplicissimam hanc interpretationem recipiat, ut ipsarum injuriarum duo genera distinguamus, quorum alterum graviorem alterum leniorem poenam invenerit; eamque rationem ut unice amplectar, non illud modo efficit, quod sic integra oratoris fide restituta insigne legum Atticarum incrementum servatur, sed etiam quod eadem distinctione utriusque quaestionis superius propositae commodissima solutio continetur. Non equidem nego *λοιδορίαν* sive objurgationem et *κακηγορίαν* sive maledictionem apud veteres passim perinde usurpari [10]); quod si altera lex his verbis concepta erat: *ἐάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ*, altera eum qui *ἐστεφανωμένον ἄρχοντα πατάξειε ἢ κακῶς εἴποι, καθάπαξ ἄτιμον* esse jubebat, quaeri sane poterat cur illa loco circumscriberet, quem haec ipso munere tutum esse vellet, neque eo confugiemus, ut solos novem qui peculiari nomine *ἄρχοντες* vocabantur, corona ornatos et velut sacrosanctos fuisse statuamus [11]); at etiam si par omnium magistratuum sanctitas, par majestas fuerit, aliud tamen, opinor, erat si quis immodeste et petulanter expostulando solam potestatem laederet, aliud si verbis contumeliosis uteretur, quae quum vel adversus privatum hominem injuriosa haberentur, adversus magistratum in summum flagitium abibant, nec si omnis *κακηγορία* ad *λοιδορίαν* referri poterat, ideo omnis *λοιδορία* eisdem poenis locum dabat, quibus *κακηγορία* merito coercebatur. *Κακηγορίας*

---

alteram de poena iis irroganda, qui magistratui quovis loco conviciati erant, alteram de iis, qui in templis, curiis etc. quemlibet hominem cavillati erant, pecunia mulctandis; jure igitur strategi Polyaeno mulctam irrogaverant etc.

10) Sic Demosth. adv. Conon. §. 18: *εἰσὶ κακηγορίας δίκαι, ἵνα μὴ λοιδορούμενοι τύπτειν ἀλλήλους προάγωνται*: adv. Theocrin. §. 40: *καὶ τότε μὲν λοιδορουμένους καὶ πλύνοντας αὐτοὺς τἀπόρρητα*: Aeschin. adv. Timarch. §. 35: *τῶν ῥητόρων ἐάν τις λέγῃ ἐν βουλῇ ἢ ἐν δήμῳ περὶ τοῦ εἰςφερομένου μὴ χωρὶς περὶ ἑκάστου . . . ἢ λοιδορῆται ἢ κακῶς ἀγορεύῃ τινά*: quanquam hic etiam discrimen aliquod cerni potest, neque praeterea negligendum est *λοιδορεῖν τινὰ* et *λοιδορεῖσθαί τινι* non regimine magis (de quo cf. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 131, Reitz. ad Lucian. Icarom. c. 30, Baguet. ad Dion. Chrysost. orat. VIII, p. 43) quam significatione differre, qua activum *increpare* sive *objurgare*, medium *jurgia serere* significat; cf. Kuster. et Cleric. de verbis mediis p. 71 et 207 ed. Wolle.

11) Strategis certe et ipsis coronam myrteam tribuit Schol. Aristoph. Equitt. 58; cf. Leutschium in Schneidewini Philologo T. I, p. 477.

certe crimen certis vocabulis circumscriptum esse constat, quibus ne privatum quidem appellari lex Attica permisit [12]); haec igitur esse, quibus si quis magistratum incesseret, capitis deminutio sive infamia proposita fuerit, ex ipsis Midianae verbis apparet, ubi Demosthenes magistratum cum privato sic comparat, ut utrique ultionem concedat, modo pro utriusque condicione diversam: ἐὰν μὲν ἐστεφανωμένον πατάξῃ ἢ κακῶς εἴπῃ, ἄτιμος, ἐὰν δὲ ἰδιώτην, ἰδίᾳ ὑπόδικος: alias vero objurgationes, quae quidem verbis probrosis abstinerent, ne si adversus magistratum quidem fierent, hac lege comprehendi potuisse eadem comparatio docet, si quidem talem privato judicio persequi omnino non licebat; nec si maxime poenae obnoxium fuisse volumus, qui magistratum intemperantius querendo laesisset, aliud ejus rei fundamentum patet praeter legem a Lysia memoratam, quam tamen non est cur aut extra consistorii cancellos valuisse aut ipsam magistratuum in consistorio objurgationem severiore poena sanxisse credamus, quam qua Lysiae clientem affectum esse legimus [13]). Mitto quod hujus non ea causa apparet, ut clementiam Strategorum expertus esse videatur, qui quum capitali poenae obnoxium haberent, intra mulctam constitissent; immo hos quam iniquissime eum tractasse tota oratio prodit; sed ne legitimum quidem fuisse arbitror, magistratui permitti, ut eum, quem capitalis criminis argueret, sola mulcta afficeret; haec ipsa enim ἀτιμίας vis erat, ut cuicunque crimini legibus praefinita esset, eidem ipso facto, ut ajunt, capitis deminutionem adjungeret [14]), quam poenam etsi multi, ut videtur, aut sero aut nunquam senserunt, si nemo existeret, qui eos aut ἐνδείξει aut aliquo δοκιμασίας genere persequeretur, tamen si modo factum punire visum esset, alio modo puniri non poterat. Aliud igitur erat κακηγορία, quae vel in privato quingenarum drachmarum mulcta constabat, in magistratu cum ἀτιμίᾳ sive capitis deminutione conjuncta erat, aliud λοιδορία

12) Ἀπόρρητα: cf. Harpocr. p. 40: *τίνα δὲ ἦν ἅπερ ἀπείρηται λέγειν εἰς ἀλλήλους, δεδήλωκε Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Θεομνήστου*: cf. Taylor. p. 340.

13) Nullo auctore dixit Meierus p. 483: *wer aber endlich eine Behörde auf irgend eine Art schmähte, gleichviel wo, wann, und mit welchen Worten, wurde, wenn die Behörde nicht vorzog die Sache mit einer blossen Epibole abzumachen, schlechthin ἄτιμος*: eundem tamen hic quoque presse sequitur Schelling. p. 132: *nam quaecunque maledicta in magistratus conjecta ἀτιμίας poena vindicabantur nec referebat quo in loco id factum.*

14) Praeclare hoc animadvertit P. van Lelyveld de infamia jure Attico, Amstel. 1835. 8, p. 271: *igitur haud temere certoque adeo statuere posse videmur, semper legem, nunquam judices, irrogasse ἀτιμίαν: crimen etenim ipsum erat quod eam infligeret etc.*

sine ignominia verbisque contumeliosis facta, qua vel magistratus ita demum laesus existimabatur, si coram in consistorio objurgatus esset, adversus privatum autem nullum omnino delictum continebat, nisi quis ad eam intemperantiam processisset, quae propter publicam offensam coërcenda videretur [15]; idque discrimen jam etiam alteram illam difficultatem expedire puto, quam in Solonis lege a Plutarcho laudata cum nota *κακηγορίας* poena concilianda versari vidimus. Illa enim lex universe mulctam constituebat in eos, qui publicorum locorum sanctitatem altercando et conviciando violassent, *κακηγορίας* autem poena, ut diximus, certorum verborum usu circumscribebatur, quibus tamen ipsis ubicunque aliquis usus esset, eandem mulctam incurrebat, nec si maxime concedamus eam post Solonem demum institutam esse, tantam huic amentiam tribuemus, ut vere probrosis verbis extra paucorum locorum fines impunitatem pollicitus sit; quod etsi Plutarchus in hac quoque causa maledicentiae vocabulo utitur, nullus tamen dubito, quin hoc ad totum *λοιδορίας* genus extendere liceat, quo ille loca publica non propter privatos sed populi causa carere voluerit, tantumque abest ut, quod multis placuit, solius temporis discrimine facto, Soloniae mulctae exiguitatem mox deminuto pecuniae pretio in notam *κακηγορίας* poenam accrevisse credam [16]), ut utrumque genus non magis pecuniae summa quam tota persequendi ratione distinguam. An si maxime quingentarum drachmarum mulcta Solone posterior erat, post institutam *κακηγορίας* actionem, modo quis verbis probrosis abstineret, quovis loco impune alterum objurgari licebat? Auctisve singulorum commodis populum minus sibi consuluisse credimus? Immo quingentas, ut par erat, privato judicio petebat laesus, quo nolente aut negligente reus ab omni poena liberabatur; mulctam autem a Solone constitutam in eos, qui in foro aut spectaculo tumultuati essent, magistratum pro sua potestate exegisse consentaneum est, sive etiam privato, ad quem hujus mulctae pars redibat, ejus rei causa actio da-

15) Sic jam Plutarchus de Solone: *τὸ γὰρ μηδαμοῦ κρατεῖν ὀργῆς ἀπαίδευτον καὶ ἀκόλαστον, τὸ δὲ πανταχοῦ χαλεπὸν, ἐνίοις δὲ ἀδύνατον· δεῖ δὲ πρὸς τὸ δύνατον γράφεσθαι τὸν νόμον, εἰ βούλεται χρησίμως ὀλίγους, ἀλλὰ μὴ πολλοὺς ἀχρήστως κολάζειν*, eodemque spectare videtur Aristot. Eth. Nic. IV. 8. 9: *οἱ δὲ νομοθέται ἔνια λοιδορεῖν κωλύουσι*, ergo non omnia!

16) Praeivit Heraldus p. 135: *ex iis igitur constare arbitror multam κακηγορίας levissimam fuisse Solonis lege, postea plurimum auctam in certis injuriarum generibus, quae lege de ea lata continebantur*; quem secuti sunt Boeckhius Staatshaush. T. I, p. 402, Heffterus p. 246 (*später mag die Strafe erhöht worden seyn*), Platnerus p. 192, alii; verum suboluit Salmasio p. 162, modo ne *κακολογίαν* pro *λοιδορίᾳ* substituisset.

batur, nec *κακηγορίας* haec nec *λοιδορίας* esse poterat, quo nomine omnino *δίκην* Athenis non novimus [17]), sed ut opinor ad *φάσεως* similitudinem accedebat, cujus ipsius eam vim fuisse constat, ut mulcta inter populum et actorem divideretur. His igitur omnibus comprehensis injuriarum verbis commissarum etsi nos quoque ut Meierus quatuor genera constituimus, *κακηγορίας* tamen actionem ad eas injurias restringimus, quas quis verbis ignominiosis lege vetitis privato intulisset; quibus verbis qui adversus magistratum coronatum usus esset, ipso facto capitis deminutionem patiebatur; *λοιδορίαν* vero, sive objurgationem, quae aliis verbis fieret, ita tantum poenae obnoxiam fuisse statuimus, si aut contra magistratum in consistorio aut contra privatum in loco publice sancito commissa esset, eamque poenam in mulcta ponimus, quae sive legibus definita sive magistratuum arbitrio permissa esset, ab his irrogata solito in debitoribus populi more exigebatur; postremo qui mortuum maledictis prosecutus esset, et ipse ex lege Solonia mulcta afficiebatur [18]), cujus quum aliqua certe pars publica esset [19]), ne hanc quidem soli privatae persecutioni relinqui consentaneam erat [20]).

II.

Jam vero gravior ad se vocat quaestio de injuria vi et factis illata, cujus etsi itidem constat duas persequendi vias fuisse, alteram aestimatoriam, quae *αἰκίας* nomine privato judicio relinquebatur [21]), alteram publicam et poenalem,

---

17) Nam quod Athen. XII. 28 Antiphontis *λόγον κατ᾽ Ἀλκιβιάδου λοιδορίας* laudat, non ut Meierus Plutarchi V. Alcibiad. c. 3 ex Athenaeo, sed hanc ex illo ita corrigendam arbitror ut *Ἀντιφῶντος κατ᾽ Ἀλκιβιάδου λοιδορίαι* intelligantur, id est *invectivae*, quo vocabulo etiam Ciceronis Catilinarias appellatas esse constat.

18) Plut. V. Solon. c. 21: *ἐπαινεῖται δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τὸν τεθνηκότα κακῶς ἀγορεύειν*: cf. Demosth. Lept. §. 104, adv. Boeot. de dote §. 49 etc.

19) Lex. rhetor. Dobr. p. 671: *ἐάν τις κακῶς εἴπῃ τινὰ τῶν κατοιχομένων καὶ* (leg. *κἂν*) *ὑπὸ τῶν ἐκείνου παίδων ἀκούσῃ κακῶς, πεντακοσίας καταδικασθεὶς ὤφειλε τῷ δημοσίῳ, τριάκοντα δὲ* (an *τριακοσίας*?) *τῷ ἰδιώτῃ· Ὑπερείδης δὲ ἐν τῷ κατὰ Δωροθέου χιλίας μὲν ζημιοῦσθαι τοὺς κατηχομένους* (leg. *κατοιχομένους* scil. *κακῶς λέγοντας*) *φησὶ, πεντακοσίας δὲ τοὺς ζῶντας.*

20) Suidas s. v. *ἔνδειξις: ἔτι τὸν κακῶς λέγοντα τοὺς τετελευτηκότας ἀδίκως*, hoc est sine exceptione veritatis, quam omnem *κακηγορίαν* excusasse certum est, cf. Demosth. Aristocr. §. 50 Dio Chrysost. XV, p. 237 etc. De *ἐνδείξει* autem quod dubitarunt Meierus p. 244 et Platnerus p. 286, post Lexici rhetor. testimonium repertum vix amplius facturos arbitror.

21) Harpocrat. p. 11: *αἰκίας εἶδος δίκης ἐστὶν ἰδιωτικῆς ἐπὶ πληγαῖς λαγχανομένης, ἧς τὸ τίμημα ἐν τοῖς νόμοις οὐκ ἔστιν ὡρισμένον, ἀλλ᾽ ὁ μὲν κατήγορος τίμημα ἐπιγράφεται, ὁπόσου δοκεῖ ἄξιον εἶναι τὸ ἀδίκημα, οἱ δὲ δικασταὶ ἐπικρίνουσιν*: cf. Meier att. Process p. 547 sqq.

quam proprium *ὕβρεως* vocabulum signabat [22]), haec ipsa *ὕβρεως γραφὴ* duplici modo viros doctos ad hunc usque diem exercuit. Habemus utique hoc de argumento duas leges satis distincte et accurate conscriptas, quarum quum altera orationi adversus Midiam inserta ad alapam ab adversario acceptam, altera, quam Aeschines in oratione adversus Timarchum §. 16 laudat, ad prostitutionis crimen referatur, facilis ea distinctio videri possit, ut illam ad verbera, hanc ad stuprum et vim obscaenam pertinere dicamus; at primum quidem id ipsum a multis in disceptationem vocatum est, qui quum tantum utriusque discrimen non agnoscerent, unam ex duabus conflare eamque utroque loco aut ad injurias universe aut ad stupra peculiariter revocare conati sunt [23]); deinde vel solam illam, quae in Midiana restat negari nequit nonnulla continere, quae cum reliquis actionum publicarum formis comparata offendant; quae quum nec alios dudum nec nuper Bakii diligentiam fugerint, nos quoque quamvis festinantes his anteverti par est. Nam postquam sancitum est, ut si quis cujuslibet sexus statusve hominem sive liberum sive servum contumelia affecerit, hunc unicuique civi, qui quidem *ἐπίτιμος* sit, in jus vocare liceat, accusationem vero Thesmothetae intra trigesimum diem ad Heliaeam deferant eaque reo, quem sontem cognoverit, quantum eum solvere pative oportere videatur infligat, ita lex pergit: *ὅσοι δ᾽ ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον, ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ*: quibus verbis etsi, si ab uno vocabulo *ἰδίας* discesseris, nihil constituitur, nisi quod in omni actione publica legitimum et solemne fuisse constat, tamen et illud jure quaeritur, cur communem hanc sanctionem singulari legi peculiariter adscribi opus

---

22) Etymol. M. p. 774: *ὕβρις ἡ μετὰ προπηλακισμοῦ καὶ ἐπηρείας αἰκία, αἰκία δὲ πληγαὶ μόνον· Λυσίας ἐν τῷ περὶ αἰκίας πρὸς Ἰσοκράτην* (Poll. VIII. 46 *Ἱπποκράτην*)· *καίτοι τίς οὐκ οἶδεν ὑμῶν, ὅτι ἡ μὲν αἰκία χρημάτων ἐστὶ μόνον τιμῆσαι, τοὺς δὲ ὑβρίζειν δόξαντας ἔξεστιν ὑμῖν θανάτῳ ζημιοῦν*; cf. Salmas. Obss. ad jus Att. et Rom. p. 224 sqq., Herald. Animadv. p. 115 sqq., Meier att. Process p. 319 sqq., Platner Process u. Klagen T. II, p. 193 sqq.

23) Cf. Petiti Leg. Att. p. 569 pluraque apud Schelling. l. c. p. 80—88; imprimis autem Meierum l. c. p. 321: *Heraldus scheint in beiden Stellen zwei verschiedene Gesetze anzuerkennen, nämlich in der des Demosthenes das Gesetz über die ὕβρις διὰ πληγῶν, in der des Aeschines aber ein Gesetz über die διὰ αἰσχρουργίας ὕβρις: ich kann dieser Meinung nicht beitreten; denn da auch dort von einer ὕβρις gegen Sclaven die Rede ist, diese aber nie durch die einem Sclaven zugefügten Schläge Statt findet, so müssen beide Stellen von einerlei ὕβρις, von der δι᾽ αἰσχρουργίας verstanden werden*; contraque Platnerum p. 218 dubitantem, *ob das Gesetz über die ὕβρις sich nicht bloss auf thätliche Injurien bezog, und ob nicht Aeschines dasselbe sykophantischer Weise auf die Unzucht überträgt.*

fuerit, et mira occurrit ἰδίας γραφῆς mentio, quam praeter hunc locum nusquam exstare vere Westermannus monuit [24]); postremo etiam in eo offensum est, quod in fine legis ad reum reversa oratio: ἐὰν δὲ ἀργυρίου, inquit, τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, δεδέσθω, ἐάν γε (ita enim legendum videtur pro codicum scriptura ἐὰν δὲ) ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, μέχρι ἂν ἐκτίσῃ. Quanquam haec difficultas minor nobis videtur, si quidem verisimillimum est tale προστίμημα, quod ad poenam legitimam accedere oporteret, ipsi legi posterius vel populi vel νομοθετῶν decreto adjectum esse, quo facto nec ordinem mirum est, quo integrae legis latorem uti par erat, inversum esse, et iteratum τῆς ὕβρεως vocabulum excusationem nanciscitur, quod ex peculiari decreto hanc ipsam legem respiciente remansisse apparet; difficilior sane causa est ἰδίας γραφῆς, de qua adeo diversi viri docti abierunt, ut alii ex hoc solo proprium accusationum genus repeterent, *quibus quis ipse laesus injuriam persequeretur, quae proprie ipsum attingeret, improprie vero civitatem* [25]), alii ut Bakius idem prorsus exstitisse negarent [26]); neque alius loci, quem viri docti ad privatam ὕβρεως naturam demonstrandam adhibuerunt [27]), ita ratio constat, ut majorem lucem illi afferre quam ipse inde exspectare videatur. Est is ipsius Midianae §. 25, ubi orator per hypophoram haec contra se disputantem adversarium inducit, ὡς εἴπερ ἀληθῶς ταῦτα ἐπεπόνθειν ἃ λέγω, δίκας ἰδίας μοι προσῆκεν αὐτῷ λαχεῖν, τῶν μὲν ἱματίων καὶ τῶν χρυσῶν στεφάνων τῆς διαφθορᾶς βλάβης, ὧν δ' εἰς τὸ σῶμα ὑβρίσθαι φημὶ ὕβρεως, οὐ μὰ Δί' οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν, καὶ τίμημα ἐπάγειν ὅ,τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι: ubi quum claris verbis ὕβρεως actio pariter ac βλάβης privatis annumerari, publicis opponi videatur, illud tamen offendit, quod hac oppositione simul etiam τιμήματος poenaeque capitalis mentio continetur, quam quum aliunde tum ex ipsa lege

24) Comm. de litis instrumentis, quae leguntur in Demosthenis oratione in Midiam, Lips. 1844. 4, p. 27. Unum praeterea exemplum Meieri diligentia p. 163 indagavit Sopatri quaest. divis. T. VIII, p. 222: ἀλλ' ὁ νόμος, φησὶ, περὶ τῶν ἰδιωτικῶν ἐστὶ γραφῶν, οὐ περὶ τῶν δημοσίων κεκυρωμένος, καὶ ἐν μὲν ταῖς ἰδίαις ἄλλην οὐ δίδωσι τοῖς παισὶν ἢ τὴν παρανοίας γραφήν: at ibi γραφὴν abusive pro δίκῃ dictam esse et ipsa legis praescriptio: κατὰ πατρὸς μὴ εἶναι δίκην ἢ τὴν τῆς παρανοίας, et tota hujus actionis indoles docet, quam omnino nunquam adducar ut cum Meiero p. 296 γραφαῖς potius quam cum Platnero p. 240 δίκαις annumerem; tenuem enim Lexici rhetorici auctoritatem abunde elevat Pollux VIII. 89: δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται κακώσεως, παρανοίας κ.τ.λ.

25) Cf. Meierus p. 163, qui quatenus Heraldum sequitur, Platnerum quoque assentientem habet, qui p. 197 γραφὰς ἰδίας ab illo primo recte explicatas esse ait.

26) Schol. Hypomnem. T. III, p. xiv sqq.

27) Cf. inprimis Boeckhium Staatsh. T. I, p. 400 sq.

superius memorata constat ὕβρεως γραφὴν cum publicis actionibus communem habuisse [28]); sive igitur, quod plerique Scholiasta duce fecerunt [29]), τίμημα ἐπάγειν et δημοσίᾳ κρίνειν conjunxeris, ὕβρεως actioni id ipsum deerit, in quo omnis ejus cardo versabatur, sive verba καὶ τίμημα ἐπάγειν ὅ,τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι vel transponendo, ut Bakio placuit, vel construendo ad ipsam ὕβριν retulerit, rursus id quod est δημοσίᾳ κρίνειν a poenae aestimatione sejungetur, qua plurimas actiones publicas usas esse certum est [30]); postremo id ipsum merito mireris, quomodo ὕβρεως actio a publicis distinguatur, cujus et poena tota ad populum rediit [31]) et instituendae Solon unicuique potestatem fecerat, quia totius rei publicae interesse videbatur, ne quis impune in aliena corpora grassari adsuesceret [32]). Et eos quidem qui ita has difficultates expediunt, ut Demosthenem orationem imperfectam reliquisse neque omnia ad unguem expolivisse statuant [33]), eo minus audiemus, quo subtilius et hic orator disputat et mox §. 28 hunc ipsum locum ita respicit: μὴ δὴ τοῦτο λέγειν αὐτὸν ἐᾶτε, ὅτι καὶ δίκας ἰδίας δίδωσιν ὁ νόμος ἐμοὶ καὶ γραφὴν ὕβρεως: neque illud amplius sufficit, quod ipse olim Bakio per literas consulenti respondi, ut αἰκίας pro ὕβρεως reponatur, quo facto haud scio an sermonis leges δημοσίᾳ κρίνειν, quod tum ad ὕβριν referretur, cum sequenti τίμημα ἐπάγειν non per καὶ sed propter antecedentem negationem per οὐδὲ copulari postulaturae sint; immo ipsam ὕβρεως actionem manifesto ἰδίαν dici apparet ex §. 33, ubi orator: εἰ μὲν ἐν ἄλλαις τισὶν ἡμέραις ἠδίκησέ τι τούτων Μειδίας ἰδιώτην ὄντα, ἰδίᾳ καὶ δίκην προσῆκεν αὐτῷ διδόναι, unde dubitari non potest, quin recte Bakius cum Boeckhio, cui et ipsi olim frustra oblocutus sum [34]), δημοσίᾳ κρίνειν ad προβολὴν retulerit, quam

28) Cf. Lysiae fragmentum sup. not. 22 adscriptum; item Aristot. Problem. XXIX. 16: ἐπὶ δὲ ὕβρει τίμησις τί χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι: ejusdemque Rhetor. I. 14. 3.

29) Sic enim hic: ἐπὶ γὰρ τοῖς ἰδιωτικοῖς ἐκ τῶν νόμων ὥριστο τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ τοῖς δημοσίοις ὁ κατήγορος ἐτιμᾶτο: quod tamen omnino perperam dictum esse vel locus de αἰκίᾳ sup. not. 21 laudatus ostendit; cf. Meier. p. 171 sqq.

30) Schömann att. Process p. 739, Ast. ad Plat. Remp. p. 356.

31) Demosth. Mid. §. 28: εἰ δ' ἐγὼ τὴν ἐπὶ τῶν ἰδίων δικῶν πλεονεξίαν ἀφεὶς τῇ πόλει παραχωρῶ τῆς τιμωρίας καὶ τοῦτον εἱλόμην τὸν ἀγῶνα, ἀφ' οὗ μηδὲν ἔστι λῆμμα λαβεῖν ἐμοί: cf. §. 45 et Poll. VIII. 42: καὶ τῆς μὲν ὕβρεως τὸ τίμημα οὐκ ἦν τοῦ παθόντος ἀλλὰ δημόσιον.

32) Plut. V. Solon. c. 18: καὶ γὰρ πληγέντος ἑτέρου καὶ βλαβέντος καὶ βιασθέντος ἐξῆν τῷ δυναμένῳ καὶ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἀδικοῦντα καὶ διώκειν, ὀρθῶς ἐθίζοντος τοῦ νομοθέτου τοὺς πολίτας ὥσπερ ἑνὸς μέρους συναισθάνεσθαι καὶ συναλγεῖν ἀλλήλοις κ. τ. λ.

33) Ut Boeckhius in Abhh. d. Berl. Akad. 1818, p. 74 eumque secutus Meierus p. 173 sqq.

34) Lehrb. d. Staatsalterth. §. 135, not. 7.

ibidem §. 34 tanquam δημοσίαν ὀργὴν καὶ τιμωρίαν privatae ultioni opponi videmus; quod etsi audacius fuerit cum Bakio verba illa καὶ τίμημα ἐπάγειν κ. τ. λ. post ὕβρεως transponi, structuram tamen, antecedentibus οὐ μὰ Δί' οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτὸν in parenthesi positis, eandem cum illo tanto magis amplector, quanto certius nuper instaurata de ipsa προβολῇ quaestione intellexisse mihi videor, cum hac, quam solam nunc verbis δημοσίᾳ κρίνειν significari constat, τίμημα quod proprie dicebatur, hoc est aestimationem poenae ab accusatore propositam, conjunctum non fuisse, sed statim de extremo supplicio et capitali poena suffragia data esse, ut multo minor judicibus quam in ipsa ὕβρεως γραφῇ inter παθεῖν et ἀποτῖσαι optio relinqueretur [35]. Hac igitur tenus Bakio in summa rei assentior; de ἰδίαις autem sive δίκαις sive γραφαῖς in omnia alia abeo, nec si mihi minus recte de subtilissimis his quaestionibus judicare contigerit, ideo illius sententias magis probari posse arbitror. Nimirum ἰδίας δίκας omnino negat *privatas* significare, sed *singulas singulorum criminum proprias*, nec *publicis* opponi, quorum numero nec ipse ὕβρεως actionem eximit, sed *extraordinariis actionibus*, quibus *nomine civitatis, quod contra legem commissum esset aut etiam quod nulla lege sancitum esset, peteretur*; idque demum ait esse δημοσίᾳ κρίνειν, ab ipsis γραφαῖς diversum, quae licet in *genere et essent et haberentur* δημοσίαι, tamen ad solam *privati injuriam*, *quae judicio publico vindicaretur*, relata sint nec nisi *ordinario actionum genere* contineantur, dum illae, *in quibus nemo se praecipue laesum esse quereretur*, *unius rei publicae et legum tutandarum causa susceptae* sint; postremo ἰδίαν γραφὴν unquam ab Attico homine appellatam esse negans, totum locum legis superius allatum tanquam παρέμβλημα ejici jubet. Qua in disputatione primum quidem illud offendit, quod in earum numero, quas ipse vere publicas existimat, sunt quas neque ordinario judiciorum generi eximere neque a singularis criminis persecutione ad promiscuae accusationis formam transferre liceat, ut παρανόμων γραφή, quae etsi totius rei publicae causa fieret, tamen arctos criminandi fines habebat solitoque more ad judices deferebatur; deinde vero etiam aliae sunt, ut ἀσεβείας γραφή, quam nemo opinor ἰδίαν dicet, quamvis et certum crimen et ordinarias judices habuerit, nec si Dionysius Halicarnassensis in Dinarchi orationum recensione [36] nonnullas inter ἰδιωτικοὺς λόγους refert, quarum causas ad γραφὰς pertinuisse scimus, hac ipsa de re inter rheto-

35) In Quaestionibus praemissis Indici lectt. hibern. 1847—1848, p. 17.

36) Jud. de Dinarcho T. V, p. 651 sqq.

res antiquos constitisse docet Theocrineae argumentum, ubi Scholiasta: *τοῦτον τὸν λόγον*, inquit, *οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἐν τοῖς ἰδιωτικοῖς ἀναγράφουσιν οἱ πολλοὶ δημόσιον ὄντα φανερῶς*: immo ipsam tutoris accusationem, quo exemplo Bakius utitur, Pollux VIII. 35 non solum *γραφὴν* sed etiam *δημοσίαν* appellat, hac una ratione addita: *ἐξῆν γὰρ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἐπίτροπον ὑπὲρ ἀδικουμένων ὀρφανῶν*, eademque causa est Harpocrationis, qui sub voce *γραφὴ*, postquam *δημοσίου τινὸς ἐγκλήματος ὄνομα* esse dixit, quasi Bakii dubitationem praevidisset, ita pergit: *οὐ μόνον δὲ ὅταν ψηφίσματος ἢ νόμου κατηγορῇ τις, παρανόμων γραφὴν ἀποφέρεσθαι καὶ γράφεσθαι λέγεται, ἀλλὰ καὶ ἐπ᾽ ἄλλοις πολλοῖς ἀδικήμασιν, ὅταν ἢ δημοσίᾳ ἢ ὡς ἐπὶ δημοσίοις αὐτοῖς ἐγκαλῇ τις*, hoc est *sive quis publico nomine agit sive privatam injuriam tanquam publicam persequitur*, ut facile videamus non solum *δημοσίαν* esse *γραφὴν*, sed etiam ibi locum habere, ubi quis *δημοσίᾳ κρίνειν* dicatur. Mitto quod tam exigua in hoc genere Graeci sermonis accuratio exstat, ut vel privata judicia *δημοσίᾳ* fieri dicantur, si quidem publice ad jus civile tuendum reprimendasque injurias instituta erant[37]; de *ἰδίαις δίκαις* autem ne sibi quidem magis quam communi antiquitatis usui Bakius constitit, quam quum sexcenties *ἰδίας* causas *δημοσίαις* ita opponere nosset, ut illae ad privata, haec ad publica commoda pertineant[38]), et ipse facere non potuit, quin *ἰδιωτικοὺς λόγους* diceret, qui privatam injuriam quamvis publico judicio vindicarent; cur igitur apud Demosthenem *ἰδίας δίκας* non ut par erat *privatas* sed *singulares* interpretatur? Patiatur hoc ratio vocabuli, non admittit usus, qui *δημοσίῳ* oppositum *ἴδιον* non magis *singulare* quam *δημόσιον promiscuum* significare patitur; nec magis admittit sententiarum nexus apud oratorem, qui ubi mox *τὸν ἰδίᾳ ὑπόδικον* cum eo comparat, qui *δημοσίας ὀργῆς καὶ τιμωρίας τυγχάνειν* mereat, utriusque discrimen non in ea re ponit, ut alter certo et singulari crimine, alter universe et velut extra ordinem petatur, sed ut ipsius Bakii verbis utar, *quod tum ulciscendi et consilium et modum actori concedit lex, in*

---

37) Sic Isocrates adv. Callim. §. 24: *καίτοι δεινὸν εἰ ἐπὶ μὲν τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν πράγμασιν ἐμμενεῖτε τοῖς ὅρκοις, ἐπὶ δὲ τῇ τούτου συκοφαντίᾳ παραβαίνειν ἐπιχειρήσετε, καὶ τὰς μὲν ἰδίας ὁμολογίας δημοσίᾳ κυρίας ἀναγκάζετε εἶναι, τὰς δὲ τῆς πόλεως συνθήκας ἰδίᾳ τὸν βουλόμενον λύειν ἐάσετε.*

38) Notos locos nec Bakio nec ceteris quibus scribo lectoribus suggeri opus est; illud tantum moneo, immerito Dionysium ab hoc reprehendi, quod T. VI, p. 1125 *ἰδιωτικοὺς λόγους περὶ μικρῶν συμβολαίων ἰδιώταις ἀνθρώποις* scribi narret; fere ad verbum enim rhetor ipsum Demosthenem sequitur, qui de Corona §. 210: *οὐδ᾽ ὑμᾶς*, inquit, *ἀπὸ τῆς αὐτῆς διανοίας δεῖ τάς τε ἰδίας δίκας καὶ τὰς δημοσίας κρίνειν, ἀλλὰ τὰ μὲν τοῦ καθ᾽ ἡμέραν βίου συμβόλαια ἐπὶ τῶν ἰδίων νόμων καὶ ἔργων σκοποῦντας κ. τ. λ.*

altero autem genere ipsa civitas suas injurias sola persequitur; nisi quod hic quoque perperam *solius civitatis* notionem immiscet, qua tantum abest ut δημοσίας τιμωρίας vis exhauriatur, ut v. c. in furto, quod et publice et privatim vindicari potuisse constat [39]), ἰδία δίκη κλοπῆς nulla magis re ab ἀπαγωγῇ differat, quam quod haec ad supplicium publice, hoc est per Undecimviros sumendum [40]), illa ad restitutionem rei furtim ablatae cum mulcta conjunctam spectabat [41]). Γραφὰς denique ἰδίας cur tam fastidiose respuit, quas opinor eo magis admittere debebat, quo arctioribus finibus δημοσίων campum inclusit, ut quod huic detraheretur, illis accrescere necesse esset? Quanquam nos, qui in hac ipsa re ab eo dissentimus, hoc certe argumento pro γραφαῖς ἰδίαις uti nolumus, neque omnino id agimus, ut proprium harum actionum genus constituamus, quod quum hanc tantum definitionem habere posset, ut δημοσίας γραφὰς a quolibet cive, ἰδίας ab eis tantum quorum interesset institui potuisse diceremus [42]), ὕβρεως certe γραφήν, in qua sola adhuc ἰδίας vocabulum inventum est, eadem lex τῷ βουλομένῳ permittit; at sic quoque videat Bakius, ne calidius neget ipsius hujus actionis, sive ab ipso laeso sive ab alio quocunque institueretur, diversam indolem fuisse, quum talem diversitatem clara legis verba eodem loco prodant, quem ut insiticium censeat ea demum re Bakius movetur, quod discrimen illud agnoscere recusat. Nimirum reprehendit, quod illic mille drachmarum mulcta diserte memoretur, quae quum omnibus γραφαῖς communis fuerit, nihil causae videt cur peculiari legi peculiariter addatur; quid autem, si hoc ipsum huic legi proprium erat, ut eam

---

39) Demosth. adv. Androt. §. 26 sqq.

40) Adv. Stephan. I, §. 81: δημοσίᾳ τεθνάναι, ubi mirum in modum argutatur Bakius p. xxiv, ut supplicia a populi magistratibus quamvis legitime sumta minus publice fieri contendat, quam quae ipse populus decreverit. Scilicet aliud esse δημοσίᾳ cum ἀποκτείνειν junctum, ut apud Isaeum de Nicostr. her. §. 28; aliud cum τελευτᾶν sive τεθνάναι, ubi *universe morti vel naturali vel voluntariae opponatur*; at quaeso Socrates, qui δημοσίᾳ τέθνηκε (Xenoph. M. S. IV. 8. 2), num minus populi suffragiis (ἀποκτιννύντων τῶν πολλῶν, Plat. Crit. p. 48 C) obiit quam illi apud Isaeum, quos nec ipsos legitimo Heliaeae judicio caruisse credibile est?

41) Adv. Timocr. §. 113: τῷ δ' ἁλόντι ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν, οὐκ ἐγγυητὰς καταστήσαντι ἔκτισιν εἶναι τῶν κλεμμάτων, ἀλλὰ θάνατον τὴν ζημίαν . . . . εἰ δέ τις ἰδίαν δίκην κλοπῆς ἁλοίη, ὑπάρχειν μὲν αὐτῷ διπλάσιον ἀποτῖσαι τὸ τιμηθὲν κ. τ. λ. Minus recte et hunc et Midianae locum cepit Lelyveld l. c. p. 69.

42) Fuisse certe quas solus laesus instituere posset, Platneri sententia est T. II, p. 4, quanquam ἰδίων vocabulo non utitur; ipsa tamen res incerta est, magisque adeo probem contra Bakium p. xxix discrimen a Meiero p. 166 propositum, quo eas actiones, quae publico nomine privatas injurias persequerentur, vel peregrinis datas esse censet, nisi quod hoc quoque indicio ἰδίας et δημοσίας distingui non posse Menippi Caris exemplum ostendit, quem Demosthenes Mid. §. 175 vel προβολὴν instituisse tradit.

mulctam, quam ceterae omnes γραφαὶ temere institutae incurrebant, in ὕβρεως γραφῇ ad eum restringeret, qui eam ἰδίαν, hoc est non alieno sed suo nomine quippe ipse laesus institueret? Nota res est κακώσεων actiones illo metu caruisse, ideoque vel εἰσαγγελιῶν nomine vocatas esse, licet non ut hae ad populum sed ad Archontem deferrentur [43]); atqui ὕβρεως γραφῆς cuilibet aperiendae eadem causa erat, nempe ut ne si is quidem, qui contumeliam accepisset, ultioni impar esset, tale facinus poenam effugeret; quidni ei quoque, qui non sibi sed alii illatam injuriam persequeretur, eandem securitatem lex paraverit? idque ipsum est, quod illa cautione contineri arbitror, quae si ei tantum, qui ἰδίαν ὕβρεως γραφὴν institueret, mulctam proponebat, eadem opera quemvis alium illo metu liberabat. Nam κατὰ τὸν νόμον, quod itidem Bakium offendit, hanc ipsam legem significat, quae privatae pariter ac publicae ultioni facultatem dabat; quam si quis communi tantum civium jurisque amore capesseret, iniquum videri poterat hunc in tali mulcta vel periclitari; longe autem alia causa erat ejus, qui eadem lege ad privatam ultionem abuti conaretur; huic igitur nominatim ea mulcta proponitur, cui in aliis γραφαῖς quivis accusator obnoxius erat, eoque pacto jam ut opinor omnis difficultas tollitur, quam cum ἰδίᾳ ὕβρεως γραφῇ conjunctam superius enarravimus [44]). Judicii forma utrique generi communis est, neque accusandi facultas privatae laesionis finibus circumscribitur; immo quivis civis injuriam cuicunque homini illatam judicio persequi potest, multumque ab hujus actionis natura aberraret, qui eam a δημοσίαις sejunctam proprio alicui ἰδίων generi accenseret; eandem vero etiam ipse laesus instituere poterat, idque si fieret, quamvis is quoque, ut Harpocrationis vocabulo utar, ὡς ἐπὶ δημοσίοις ageret, ipsi tamen ἰδία actio erat, eaque, si nostram legem sequimur, certis cautionibus adstringebatur, quae eum qui alienam injuriam vindicaret non tangebant; non quo accusandi ratio poenaeve aestimatio diversa esset, sed ut privata calumnia a publicae ultionis beneficio in suos usus convertendo absterreretur.

---

43) Harpocr. p. 94: *ἑτέρα δὲ εἰσαγγελία λέγεται ἐπὶ ταῖς κακώσεσιν· αὗται δέ εἰσι πρὸς τὸν ἄρχοντα, καὶ τῷ διώκοντι ἀζήμιοι, κἂν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων*: cf. Isaeus de Pyrrhi her. §. 47.

44) Aliquid utique jam Heraldus vidit l. c. p. 126, ubi *ἰδίαν γραφὴν ὕβρεως* et ipse ait esse *injuriarum actionem publico judicio institutam, sed pro injuria sibi ipsi illata, non alteri*; idem tamen non solum in eo errasse videtur, quod addit eandem, *etsi sit publica, tamen prope esse αἰκίας δίκην* — nimirum hanc ipsam *τίμημα* suum (cf. not. 21) ex publicis judiciis retinuisse existimat III. 3. 17, p. 207 sq. — sed etiam quod ideo peculiariter *ἰδίᾳ γραφῇ* mulctam in lege proponi statuit, ne dubium esset, quin is quoque, qui sibi illatam injuriam publico judicio persequeretur, eisdem cum quolibet alio accusatore publico *ἐπιτιμίοις* teneretur; id enim in lege sic potius enunciandum erat: *κἂν τινες γράφωνται γραφὰς ἰδίας κ. τ. λ.*

III.

At ut pars illa legis ab interpolationis suspicione tuta sit, num totius legis ea auctoritas est, unde quicquam ad doctrinam juris Attici de injuriarum actionibus illustrandam redeat? Nempe id ipsum nuper suscepit vir exactae eruditionis Westermannus, ut non solum testimonia, quorum exiguam fidem esse dudum agnovi [45]), sed quicquid monumentorum publicorum oratoris verbis interpositum legatur, legesque omnes a semidoctis diasceuastis fictas esse demonstraret [46]); cujus audaciae etsi jam Voemelius, acerrimus fidei antiquae vindex, non sine successu restitit [47]), tamen ne nos quidem hanc quaestionem negligere possumus, quae quum imprimis etiam ad alteram illam difficultatem pertineat, quam in duarum legum apud Demosthenem et Aeschinem de eodem argumento exstantium comparatione posuimus, tantum abest ut, si maxime vanas et inanes Westermanni dubitationes existimemus, laboris nostri compendium faciamus, ut huic certe nihil gratius accidere possit, quam si aut utramque, aut Aeschineam saltem legem, quae Bakii quoque sententia est [48]), ad inepta diasceuastarum figmenta relegare liceat. Nam quum ea, quae uterque orator lege contineri narrat, et inter se et cum eis, quae alibi de *ὕβρεως γραφῇ* legimus, egregie conveniant [49]), ipsarum legum tantum discrimen est, ut altera omne hominum genus comprehendat, altera de puerorum tantum ingenuorum tutela scripta in appendice demum mancipia adjiciat; deinde accusandi facultas, quae apud Demosthenem promiscua est, apud Aeschinem soli pueri *κυρίῳ* confertur, quumque illic universe vincula constituantur in eum, qui mulctam impositam non illico solverit, hic praeter vincula intra undecimum diem solvere jubetur [50]); postremo, id quod

45) Cf. Prooem. lectt. hibern. 1843—1844, p. 3.

46) Comm. de litis instrumentis etc. cit. sup. not. 24.

47) In programmate verno Gymnasii Moeno-Francofurtensis 1845.

48) Schol. hypomnem. T. III, p. xlvi sqq.

49) Athen. VI. 92: *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ τῆς τῶν δούλων προνοοῦντες τύχης ἐνομοθέτησαν καὶ ὑπὲρ δούλων γραφὰς ὕβρεως εἶναι· Ὑπερίδης γοῦν ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ κατὰ Μαντιθέου αἰκίας φησίν· ἔθεσαν οὐ μόνον ὑπὲρ τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ καὶ ἐάν τις εἰς δούλου σῶμα ὑβρίσῃ, γραφὰς εἶναι κατὰ τοῦ ὑβρίσαντος· καὶ τὰ ὅμοια εἴρηκε καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λυκόφρονος πρώτῳ καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου*: cf. Mid. §. 48 et Aeschin. Timarch. §. 17: *ἴσως ἂν οὖν τις θαυμάσειεν ἐξαίφνης ἀκούσας, τί δή ποτ' ἐν τῷ νόμῳ τῷ τῆς ὕβρεως προσεγράφη τοῦτο τὸ ῥῆμα τὸ τῶν δούλων κ. τ. λ.*

50) Timarch. §. 16: *ἄν τις Ἀθηναίων ἐλεύθερον παῖδα ὑβρίσῃ, γραφέσθω ὁ κύριος τοῦ παιδὸς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, τίμημα ἐπιγραψάμενος· ᾧ ἂν τὸ δικαστήριον καταψηφισθῇ, παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα τεθνάτω αὐθημερόν, ἐὰν δὲ εἰς ἀργύριον καταψηφισθῇ, ἀποτισάτω ἐν ἕνδεκα ἡμέραις μετὰ τὴν δίκην, ἐὰν μὴ παραχρῆμα*

maxime advertendum est, Aeschinea lex neque cum ipsius Aeschinis neque cum Demosthenis verbis concinit, ea vero, quam Demosthenis codices servarunt, Aeschinis quoque verbis adeo respondet, ut non minus recte apud hunc quam apud Demosthenem legi posse videatur [51]). Quid igitur? Num hac ipsa re utamur, ut cum Westermanno Demosthenicam legem ex Aeschinis verbis consutam arguamus? an hac servata cum Bakio Aeschineam certe damnemus? an utramque ita tueamur, ut, quod Schellingio, Funkhaenelio, Voemelio placet [52]), Aeschineam Demosthenicae diligentiam intentiore puerorum cura etiam augere statuamus? Mihi vero rebus omnibus identidem perpensis probabilissimum videtur, veram *ὕβρεως* legem, quam eandem Aeschines recitari jusserit, in Midiana exstare, quam si quis ideo falsam censuerit, quia fere eisdem verbis ab Aeschine describitur, videat ne gravissimi testis confirmationem in suspicionis argumentum convertat; quae autem nunc Aeschinis orationi inserta legitur, quum ex hujus verbis consarcinari vix potuerit [53]), haud scio an ex vetusto aliquo commentario petita

---

δύνηται ἀποτίνειν, ἕως δὲ τοῦ ἀποτῖσαι εἰρχθήτω· ἔνοχοι δὲ ἔστωσαν ταῖςδε ταῖς αἰτίαις καὶ οἱ εἰς τὰ οἰκετικὰ σώματα ἐξαμαρτάνοντες.

51) Ita enim lex apud Demosth. §. 47: *ἐάν τις ὑβρίζῃ εἴς τινα ἢ παῖδα ἢ γυναῖκα ἢ ἄνδρα τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινά, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων οἷς ἔξεστιν .... ὅτου δ᾽ ἂν καταγνῷ γε* (codd. *καταγνῷ τε*) *ἡ ἡλιαία, τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτου ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι*: quibuscum mirum in modum convenit Aeschini §. 15: *ἐν ᾧ διαρρήδην γέγραπται, ἐάν τις ὑβρίζῃ εἰς παῖδα ... ἢ ἄνδρα ἢ γυναῖκα ἢ τῶν ἐλευθέρων τινὰ ἢ τῶν δούλων, ἢ ἐὰν παράνομόν τι ποιῇ εἰς τούτων τινά, γραφὰς ὕβρεως εἶναι πεποίηκε καὶ τίμημα ἐπέθηκεν, ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι.*

52) Schelling de legg. Solon. p. 83: *lege apud Demosthenem injuriae et pueris et adultis illatae continebantur, in eaque unicuique Atheniensium actio ὕβρεως data; quum autem puerilem aetatem maxime videret Solon injuriis obnoxiam et ad eas propulsandas infirmissimam, peculiari lege τῷ κυρίῳ pueri, cui injuria illata esset, non permittebat sed imperabat, ut rem ad judices referret; non quasi de pueris minus ac de ceteris in generali lege provisum esset, sed quia puerorum in gratiam generalem supplere atque augere vellet*; cf. Funkhaenel. in Jahnii N. Jahrbb. 1842, T. XXXV, p. 413: *wie der Verf. die beiden Gesetze über die ὕβρις verbindet, ist wahrscheinlich*, et Voemel. l. c. p. 15: *denn bei dem Verbrechen gegen einen Knaben bestimmt das Gesetz den κύριος zum Ankläger, sonst jeden ehrenhaften Bürgen*; item Beckeri Charikl. T. II, p. 45 sqq.

53) Unus locus est quem eo referri liceat §. 18: *ὅτι ἐνταῦθ᾽ ὁ νομοθέτης οὔπω διαλέγεται αὐτῷ τῷ σώματι τοῦ παιδός, ἀλλὰ τοῖς περὶ τὸν παῖδα, πατρί, ἀδελφῷ, ἐπιτρόπῳ, διδασκάλοις, καὶ ὅλως τοῖς κυρίοις*: at haec quoque facile apparet etiam ad Demosthenicae legis interpretationem spectare posse, si quidem ipsa illa accusandi facultate, quae cuilibet data erat, eos maxime uti consentaneum erat, qui aliqua cum puero necessitudine conjungerentur; immo si eum solum lex accusatorem designasset, qui ex jure Attico vere *κύριος* haberetur, vix arbitror magistros quoque ei rei idoneos fuisse; facta contra *τῷ βουλομένῳ* potestate nemo potius quam magister sine *πολυπραγμοσύνης* invidia discipuli causam sustinere poterat.

sit, quem quum non solum ipsas leges sed earundem simul explicationes continere consentaneum esset, fieri poterat ut interpolator pro ipsis legis verbis particulas aliquas explicationis arriperet, quae etiam si per se nihil falsi continerent, tamen nec totam legem, qualem jam Solonem tulisse constat, exhaurirent, neque eo dicendi genere uterentur, quod illi aetati conveniret; denique utriusque exemplaris eandem causam, idem argumentum agnosco. Imperativum certe *γραφέσθω* non video quomodo cum Schellingio eundem in altera lege copiam tantum accusandi *τῷ βουλομένῳ* facere, in altera necessitatem et officium *τῷ κυρίῳ* injungere probemus; hoc autem demto majorem pueri curam, quam quae Demosthenica lege contineatur, in Aeschinea non video, nisi quod mulctae solvendae undecimus dies proponitur, quod ipsum et omni fori Attici usui repugnat et ita tantum severitatis speciem haberet, si gravior poena adjungeretur, quam post eum diem reus incurreret [54]); nec si nonnulla, quae in illius legis Graecitate viros doctos offenderunt, vel defendi vel insigni lectionis corruptelae tribui possunt [55]), tamen aut *τίμημα ἐπιγραψάμενος* nude positum, aut prorsus otiosa Undecimvirorum mentio, aut locutio *εἰς ἀργύριον καταψηφίζεσθαι*, aut *εἰρχθήτω* pro *δεδέσθω* dictum [56]), aut languidum de *οἰκετικοῖς σώμασι* additamentum, quibus generali

---

54) Nam quod Meierus de bonis damnat. p. 138 *praeterlapso undecim dierum tempore duplicatum debitum idque non illico deponente reo ad publicationem bonorum transitum* esse ait, id etsi ad aliorum debitorum publicorum exemplum dictum est, quos ante nonam prytaniam solvere oportebat, tamen hoc ipsum in nostra lege desidero, quae quum multo breviorem diem proponeret, nec poenae comminationem simpliciter ad generalem legem referre poterat, secundum quam illa poena post nonam demum prytaniam locum habebat, cf. Andoc. de myster. §. 73; sive poena in ea re ponitur, ut reus post undecimum diem in vincula conjectus sit, vel minor hujus legis quam Demosthenicae severitas exit, quae vincula statim cum ipsa condemnatione conjungit.

55) Ut v. c. *ᾧ ἂν .... καταψηφισθῇ* pro *οὗ ἂν* librariorum oscitantiae acceptum referri potest; nec *θανάτου* mentionem magis necessariam duco quam apud Xenoph. Hellen. I. 7. 22: *ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κατακριθέντα ἐν δικαστηρίῳ, ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ*: item *δικαστήριον* pro *ἡλιαίᾳ*, quod Bakium offendit, habemus et in lege apud Demosth. adv. Timocr. §. 50 et in oratoris verbis ibid. §. 55 etc.

56) Non uno nomine haec forma offendit, si quidem et *εἱρχθήτω* non *εἰρχθήτω* exspectamus secundum Buttmannum ausf. Gramm. T. II, p. 125 et Lobeck ad Soph. Ajac. 753, et melius etiam *εἵρχθω* ut *δεδέσθω*, quod scite monet Frankius Spec. novae edit. Aesch. in progr. Fuldensi aest. 1838, p. 32; denique ipsum quod est *εἵργειν*, si Bakium audimus, *de ea custodia dici solet, quae privata fiat auctoritate*, vel si quis huic opponat *εἱρκτὴν* publicam apud Thucyd. I. 131, et *εἱργμοφύλακα* apud Xenoph. Hellen. V. 4. 8, aliud semper erit *εἵργειν includere*, aliud *δεῖν in vincula conjicere*, ut parum consentaneum sit in simillima causa alteram legem *vincula*, alteram eamque, ut volunt, graviorem *carcerem* tantum decrevisse.

lege abunde consultum erat [57]), quid multa? tot offensiones intra paucas lineas conglomeratae genuinam et solemnem legis Atticae formulam produnt. Haec igitur si recte cum Bakio, Westermanno, Frankio statuimus, nec illud amplius opus erit ut cum Petito vel Meiero duarum legum in unam conflandarum periculum faciamus; immo Demosthenicam eo magis integram tuebimur, quo minus ei vel insertis Aeschineae particulis novi accessurum esset; eandem vero ne et ipsam pariter cum hac damnemus, et illud prohibet, quod remota Aeschinea jam maximum ejus obstaculum evanuit, et singulae Westermanni dubitationes partim jam superius satis ut spero expeditae sunt, partim non majore negotio expediri posse videntur. Nam quod triginta dierum angustias, intra quos Thesmothetas injuriarum actiones ad judices deferre jubentur, *omnem fidem excedere* arguit, magna opinor causa erat, quapropter leges Atticae eum, cujus superbia et intemperantia commune omnibus periculum minari videretur, non diu impunitum vagari vellent, nec grammaticorum silentio movebimur, qui quum nusquam ἐμμήνους δίκας ita enumeraverint, ut absolutus recensus habeatur, nihil impedit, quominus etiam γραφὰς nonnullas eadem acceleratione gavisae sint, qua inter privatas actiones ἐμπορικαὶ, ἐρανικαὶ, μεταλλικαὶ fruebantur [58]); παραχρῆμα quoque, quod post τιμάτω ἡ ἡλιαία otiosum censet, commodam explicationem habet, ut iteratas orationes, quales in aliis causis inter condemnationem et poenae aestimationem intercessisse novimus, ab hac alienas fuisse intelligamus [59]); ceterarum autem legum exempla, quae in Midiana exstant, tantum abest ut hujus fidem labefactent, ut mihi quidem propter easdem causas tutae esse videantur, quibus eas Westermannus a locis suis alienas esse demonstrare studet [60]). Sed haec

57) Mitto sic fieri potuisse, ut propter servum injuria affectum liber homo in carcerem conjiceretur, quod ne fiat, extrema Demosthenicae legis pars prudenter cavet; nam quod huic quoque Bakius p. LVIII *ridiculum fore* objicit, *si quis propter servum violatum pecuniae damnatus esset, hunc omni solvendi vinculo liberatum fuisse*, nescio quomodo ἀτιμίας oblitus est, quae satis, opinor, debitorem ad solvendum cogere poterat.

58) Ipse Harpocration p. 101 duas tantum ex his memorat, μεταλλικαὶ ex Demosth. adv. Pantaen. §. 2 accedunt; praeterea προικὸς ex Poll. Onom. VIII. 101; nihil igitur cogit, ut his numerum absolutum statuamus.

59) Aliter Voemelius l. c. p. 15: *denkbar ist aber doch, dass das Schuldig auch so spät am Tage erfolgte, dass der Gesetzgeber, welcher diesen Process beschleunigt haben wollte, ausdrücklich hinzusetzte, dass die zweite Abstimmung, die über die Grösse der Strafe, noch gleich an demselben Tage erfolgen müsste;* at noctu vix arbitror ullam legem suffragia ferri jussuram fuisse.

60) Sic primam legem, quae est de concione post Dionysia habenda, vel ea re tutam esse, quod non προέδρους, qui in Demosthenis verbis sunt, sed πρυτάνεις memoret, quorum illi postea demum locum

longius persequi nunc non vacat; illud potius jam quaerendum restat, ipsa lex Demosthenica utrum ad quamlibet injuriam corpori illatam, an ut Meiero videtur ad solum stuprum spectet, quorum posterius quum etiam novam confirmationem inde accipere videri possit, quod Aeschinem quoque in ea oratione, quae tota in stupro exprobrando versatur, ejusdem auctoritate usum esse suspicamur, eo diligentius opus est examinari, ecquid omnino causae sit, cur generale *ὕβρεως* vocabulum in illa lege tam arcto sensu usurpatum esse credamus, ut insignis diligentia, qua omne hominum genus ab injuriis tutum praestare videatur, propius scrutantibus ad unum atrocissimum omnium crimen redeat. Ac reliquam quoque *ὕβριν* constat jam Solonem a quovis accusari voluisse [61]), neque ea injuria, quam Demosthenis oratio persequitur, quicquam cum stupro commune habet, immo ipse Aeschines quam rationem affert, ut explicet, quomodo servos pariter cum liberis legis tutela comprehendat, eadem in quamlibet injuriam cadit, quam vere monet aequalem omnium libertatem adeo turbare, ut ipsius reipublicae intersit, ne quis vel vilissimum caput cum ludibrio et petulantia tractare adsuescat [62]); quod si nihilo minus Demosthenem cavillabundum illa lege abusum esse credere jubemur, merito certa argumenta requirimus, unde servis omnem injuriam praeter stuprum impune inferri licuisse cum Meiero colligamus. Tale vero quod apud Aristotelem invenit, qui *τοὺς ἐλευθέρους τύπτειν ὕβριν* esse ait [63]), notionem *ὕβρεως* servum non comprehendere nos quoque concedimus; at aliud opinor est notio, aliud lex, quae vel id, quod notio per se non complectatur, propter civilem pru-

---

occuparunt, dudum monui in Prooem. lectt. hibern. 1843—1844, p. 6; similis autem secundae quoque causa est, quam quum Westermannus hoc maxime nomine impugnet, quod Dionysiis Thargelia adjungat, quorum apud Demosthenem nulla mentio exstet, videat ne nimis doctum interpolatorem fingat, qui praeter omnem necessitatem ea inseruerit, quae quamvis verissima aliunde tantum accepisse poterat; nec plus ponderis ei argumento concedo, quo ceterorum Dionysiorum ruralium praeter Piraeensia mentionem desiderat; his enim facile respondemus non tantam sanctitatem publice tributam esse, ut eorum causa probolae instituerentur. Unum offendit, quod etiam Thargeliorum causa probolae *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου* fieri jubentur; sed nonne lenior medela fuerit verba *τῇ ἐν Διονύσου* pro glossemate quam integram legem pro interpolatione ejecisse?

61) Cf. sup. not. 32 et Isocr. adv. Lochit. §. 2: *περὶ δὲ τῆς ὕβρεως, ὡς κοινοῦ τοῦ πράγματος ὄντος, ἔξεστι τῷ βουλομένῳ τῶν πολιτῶν γραψαμένῳ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας εἰςελθεῖν εἰς ὑμᾶς.*

62) Timarch. §. 17: *οὐ γὰρ περὶ τῶν οἰκετῶν ἐσπούδασεν ὁ νομοθέτης, ἀλλὰ βουλόμενος ὑμᾶς ἐθίσαι πολὺ ἀπέχειν τῆς τῶν ἐλευθέρων ὕβρεως προσέγραψε μηδ᾽ εἰς τοὺς δούλους ὑβρίζειν· ὅλως δὲ ἐν τῇ δημοκρατίᾳ τὸν εἰς ὁντινοῦν ὑβριστὴν τοῦτον οὐκ ἐπιτήδειον εἶναι ἡγήσατο συμπολιτεύεσθαι*: cf. Demosth. Mid. §. 46.

63) Rhetor. II. 24. 9; an huic quoque opponamus Demosth. adv. Androt. §. 54: *οἷς ὑβριστικώτερον ἢ τοῖς οἰκέταις τοῖς σαυτοῦ κέχρησαι?*

dentiam eidem subjicere potest: *οὐ γὰρ*, ut ait Demosthenes, *ὅστις ὁ πάσχων ᾤετο δεῖν σκοπεῖν, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα ὁποιόν τι τὸ γιγνόμενον*: nec quod claro Xenophontis testimonio [64]) opponit potuisse quidem propter servum verberatum actionem institui, non tamen *ὕβρεως* [65]), ipse sibi constat, si quidem alio loco ne *αἰκίας* quidem *δίκην* servi causa concedit [66]); de primario autem exemplo, quod ex Demosthene eruit [67]), tam ambigua quaestio est, ut non uno modo contra eum disputari possit [68]). Illud tantum, quo Bakius confugit, quoniam me quoque sententiam dicere jussit vir candidissimus, admittere nequeo, ut *παιδάριον ἀστὸν* *urbanum famulum* interpretemur, qui non simpliciter servo, sed *servo rustico* opponatur; hoc enim *ἀστικὸν* aut *ἐξ ἄστεως* dicendum fuisset, non *ἀστὸν*, quo vix arbitror alium praeter *civem* in urbe habitantem designari posse [69]); at si maxime ingenuus puer erat, quem illi pro servo subornarunt, ut si Apollodorus eum verberasset, *ὕβρεως γραφὴν* huic intentarent, inde non sequitur ut propter servum verberatum *ὕβρεως* agi omnino non potuerit, sed ut majore cautione opus fuerit in libero verberando quam in servo, quem nec patronos causae suae nec judices tam faciles ad ulciscendum invenire consentaneum esset; neque opinor prudenter Apollodori adversarii egissent, si invidiam crimenque huic concinnaturi verum potius servum immisissent, quem facile exspectare poterant, praesertim ipsius culpa aliqua praecedente, ne ob gravissimam quidem castigationem multum misericordiae apud judices excitaturum esse. Nihil igitur vel illud exemplum

---

64) Republ. Ath. I. 10: *τῶν δούλων δ' αὖ καὶ τῶν μετοίκων πλείστη ἐστὶν Ἀθήνησιν ἀκολασία, καὶ οὔτε πατάξαι ἔξεστιν αὐτόθι οὔτε ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος κ. τ. λ.*

65) Att. Process p. 326: *aber hieraus geht wohl hervor, dass man eine Klage wegen der einem Sclaven zugefügten Schläge anstellen konnte, aber doch nicht dass es die Klage ὕβρεως war; es lässt sich vielmehr vermuthen, dass nur dem Eigenthümer des Sclaven desshalb die Klage αἰκίας, und wenn der Schlag von Folgen begleitet war, auch βλάβης zu Gebote stand etc.*

66) Ibidem p. 548: *dass wegen Beleidigung an Sclaven verübt αἰκίας habe geklagt werden dürfen, davon hat Heffter S. 245 Not. 7 mich nicht überzeugt; das von ihm gebrauchte Argument fällt weg; denn auch ὕβρεως konnte man wegen Schläge, die man einem Sclaven gegeben hatte, nicht angeklagt werden etc.*

67) Demosth. adv. Nicostr. §. 16: *πρὸς δὲ τούτοις μεθ' ἡμέραν παιδάριον ἀστὸν εἰσπέμψαντες . . . ἐκέλευον τὴν ῥοδωνιὰν βλαστάνουσαν ἐκτίλλειν, ἵν' εἰ καταλαβὼν αὐτὸν ἐγὼ πρὸς ὀργὴν δήσαιμι ἢ πατάξαιμι ὡς δοῦλον ὄντα, γραφήν με γράψαιντο ὕβρεως.*

68) Cf. Boeckh. apud Meierum l. c. p. 326; Platner. T. II, p. 196; Becker. Charikles T. II, p. 46; Schelling. l. c. p. 85; Funkhaenel. l. c. p. 414.

69) Clare distinguit *ἀστοὺς* eorumque servos Plato Legg. VIII, p. 849: *ὅσοι τοῖς ἀστοῖς ξένοι ἢ καὶ δοῦλοι ἐπιτροπεύουσι*, moxque: *ἀστοῖς καὶ τοῖς τούτων δούλοις*: adde Thucyd. VI. 27: *μηνύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον καὶ ἀστῶν καὶ ξένων καὶ δούλων.*

probat, nisi quod facile quivis intelligat, in pari utriusque condicione atrocius visum esse liberum quam servum verberari, eam vero crudelitatem, quae etiam in servo nimia videri deberet, a lege Attica permissam esse non probat; neque omnino probabile est eos, quos utriusque et servi et liberi caedem eadem severitate vindicasse constat [70]), quique ne dominis quidem prorsus liberam in servilia corpora potestatem concesserant [71]), haec cuivis alii, modo citra domini damnum fieret, impune vexanda, caedenda, crucianda, vincienda tradidisse, omnemque eorum tutelam legitimam clandestinae contumeliae genere circumscripsisse, quod haud scio an publicae offensae in servo certe ne tantundem quidem quantum aperta crudelitas continuerit. Verum est *ὕβριν* haud raro solum stuprum significare; inde tamen nihil aliud efficitur, quam ut hoc quoque generali *ὕβρεως* interdictione comprehensum fuisse intelligamus, neque peculiarem legem ad adolescentiae tutelam desideremus, praesertim quum ipsa *ὕβρις* jam tantae judicum severitati locum daret, ut eadem stupro coërcendo abunde sufficeret [72]); sin ea lege, quae *ὕβριν* universe prohibere videtur, unam tantum hujus speciem reprimi statuerimus, haec tantum optio data erit, ut reliquas species aut nulli aut minori poenae obnoxias faciamus, aut quum neutrum horum certa antiquitatis testimonia patiantur, aliam legem cogitemus, quae sola servorum mentione omissa cetera eisdem cum nostra verbis sanxerit; quod si hoc ipsum et maxime ambiguum et prudente legislatore prorsus indignum foret, vel propter hanc causam legem Demosthenicam per omnia *ὕβρεως* genera extendere servosque pariter ac liberos non stupro magis quam omni contumelia liberare debebimus.

---

70) Lycurg. adv. Leocr. §. 65: *οὐδὲ τὸν μὲν οἰκέτην ἀποκτείναντα ἀργυρίῳ ἐζημίουν, τὸν δὲ ἐλεύθερον εἴργον τῶν νομίμων, ἀλλὰ ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις ἀδικήμασι θάνατον ὥρισαν*: cf. Schol. Aeschin. F. L. §. 87 et Meier. de bonis damnat. p. 23, cujus tum vel de verberibus servorum alia ac posterius sententia apparet: *quid enim fingi ineptius potest, quam contendere Athenienses, qui servi aeque ac liberi percussorem capite punivissent .... apud quos servorum et inquilinorum tanta fuerit licentia, ut nemini eos ferire liceret .... eosdem, inquam, Athenienses leviore poena eum fuisse ultos, qui inquilinum, quam qui civem interfecisset?*

71) Contra hos enim *πρᾶσιν αἰτεῖσθαι* concessum erat; cf. Lehrb. d. Staatsalterth. §. 114, not. 8.

72) Plures *ὕβρεως* leges merito non agnoscunt Westermannus p. 25 et Bakius p. LII, nec si maxime apud Demosthenem adv. Conon. §. 24 pluralis constet, plus huic tribuimus quam in alia causa ipse Meierus att. Process p. 497: *man bemerke auch hier, dass der Plural συγγραφαὶ sehr häufig nur von einem Vertrage gebraucht wird*; cf. *συνθήκας* apud Demosth. Aristocr. §. 167 similemque Latinorum usum apud Dirksen. verm. Schriften T. I, p. 6 et Mommsen. de coll. et sodal. Rom. p. 43: *ut caput legis saepe dicitur lex, ita lex universa saepe leges*, item Drumann. röm. Geschichte T. III, p. 137 aliaque apud Rothium ad Taciti Agric. p. 109.

IV.

Ceterum haec omnia, quae de stupro eadem cum reliqua corporis contumelia actione comprehenso disseruimus, ad publicam tantum vindictam spectant, cui ὕβρεως γραφὴ privatam compensationem facile apparet diversam ab ea flagitasse, qua quis damnum per verbera acceptum αἰκίας nomine persequeretur, talemque revera stupro peculiariter concessam fuisse docent legis verba quamvis impedita apud Lysiam de caede Eratosthenis §. 32: ἀκούετε, ὦ ἄνδρες, ὅτι κελεύει, ἐάν τις ἄνθρωπον ἐλεύθερον ἢ παῖδα αἰσχύνῃ βίᾳ, διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν, ἐὰν δὲ γυναῖκα, ἐφ᾽ αἷσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστιν, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι, quibus orator deinceps explicandi causa haec addit: οὕτως, ὦ ἄνδρες, τοὺς βιαζομένους ἐλάττονος ζημίας ἀξίους ἡγήσατο εἶναι ἢ τοὺς πείθοντας· τῶν μὲν γὰρ θάνατον κατέγνω, τοῖς δὲ διπλῆν ἐποίησε τὴν βλάβην, ἡγούμενος τοὺς μὲν διαπραττομένους βίᾳ ὑπὸ τῶν βιασθέντων μισεῖσθαι, τοὺς δὲ πείσαντας οὕτως αὐτῶν τὰς ψυχὰς διαφθείρειν κ. τ. λ. At enim hic quoque alia Plutarchi narratio occurrit [73]), quae licet hoc confirmet, quod primo aspectu maxime mirum videatur, raptoris ac stupratoris delictum quamvis cum vi conjunctum multo levius quam adulteri corruptorisve habitum esse [74]), poenam tamen non ut Lysias duplo damni illati sed certa centum drachmarum summa definit; quibus si eam difficultatem adjunxerimus, quae in verbis ἐφ᾽ αἷσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστι cum reliquo legis tenore concinnandis cernitur, ne hunc quidem locum indignum, in quem paulo diligentius inquiratur, inveniemus. Et de Plutarcho quidem Meierus [75]) legitimam centum drachmarum mulctam, si

---

73) V. Solon. c. 23: ὅλως δὲ πλείστην ἔχειν ἀτοπίαν οἱ περὶ τῶν γυναικῶν νόμοι τῷ Σόλωνι δοκοῦσι· μοιχὸν μὲν γὰρ ἀνελεῖν τῷ λαβόντι ἔδωκεν· ἐὰν δ᾽ ἁρπάσῃ τις ἐλευθέραν γυναῖκα καὶ βιάσηται, ζημίαν ἑκατὸν δραχμὰς ἔταξε κ. τ. λ.

74) Apposite Petitus L. A. p. 565 comparat Xenoph. Hieron. III. 3: μόνους γοῦν τοὺς μοιχοὺς νομίζουσι πολλαὶ τῶν πόλεων νηποινὶ ἀποκτείνειν, δηλονότι διὰ ταῦτα, ὅτι λυμαντῆρας αὐτοὺς νομίζουσι τῆς τῶν γυναικῶν φιλίας πρὸς τοὺς ἄνδρας εἶναι· ἐπεὶ ὅταν γε ἀφροδισιασθῇ κατὰ συμφοράν τινα γυνή, οὐδὲν ἧττον τούτου ἕνεκα τιμῶσιν αὐτὰς οἱ ἄνδρες, ἐάν περ ἡ φιλία δοκῇ αὐτοῖς ἀκήρατος διαμένειν: adde Sympos. VIII. 25 Aeschinisque illud adv. Timarch. §. 15: ὑβρίζει δὲ δήπου ὁ μισθούμενος.

75) Att. Process p. 545: *das Gesetz bestimmte nach Plutarch, dass der verurtheilte Beklagte hundert Drachmen Busse, vermuthlich an den durch die That beleidigten Kläger, zahlen solle .... wenn aber andere Stellen lehren, dass der vermittelst dieser Klage Verurtheilte doppelten Schadenersatz zu leisten hatte, so ist diess wohl so zu verstehen, wenn neben der Schändung, für welche jene hundert Drachmen als Busse bestimmt waren, der geschändeten Person irgend ein Schade zugefügt worden sey, so solle dieser*

quod praeterea damnum stuprando illatum fuerit, dupli solutione augeri potuisse censet, Schellingius [76]) cum Reiskio et Schillero [77]) ipsas centum drachmas duplum ejus mulctae, fuisse statuit, quam antecedens aliqua lex pro servi stupratione sanxerit; mihi vero similis utriusque poenae ratio fuisse videtur, ac quam superius in maledictis probare conatus sum, ut si magistratus suo jure velut publicae offensae vindicandae causa vim cum stupro conjunctam coërceret, intra certam mulctae summam subsistendum fuerit [78]), sin quis tanquam privatim laesus in judicio vindictam quaereret, damnum stupro illatum pecunia aestimaretur reusque populo tantundem solveret, quanti actoris damnum a judicibus aestimatum esset [79]). Nam quod illi de servi stupro somniant, quod dimidio tantum punitum sit, neque auctore ullo neque exemplo sumtum est, eoque majorem dubitationem habet, quo minus demonstrari potest ipsum παῖδα, qui in Lysiae verbis memoretur, non servum sed liberum puerum intelligendum esse [80]); in Meieri autem sententia, qua aliud damnum praeter ipsum stuprum duplo aestimatur, mirum foret id, quod fortuito tantum accederet aliisque legibus de βλάβῃ abunde sancitum esset, pro ipso legis argumento venditari; omnia contra simplicissime et commodissime pro-

---

zu Geld geschätzt und davon das Doppelte bezahlt werden; quem sequitur Falkius in interpr. Lysiae German. p. 11.

76) Legg. Solon. p. 89: *διπλῆν, quod verbum restituit Taylorus, indicat legi nostrae praecessisse aliam legem, in qua simplex mulcta definita erat, quam legem equidem cum Reiskio de vi servis illata egisse existimaverim ... quanta autem duplex haec mulcta fuerit, accuratius nos docebit Plutarchus ... igitur stuprum per vim servis illatum quinquaginta, in mulieres ingenuas centum drachmis punitum esse videtur* etc.

77) Post Andocidis orationes ab illo editas Lips. 1835, 8, p. 82; cf. et Wachsmuth. Hellen. Alterth. T. II, p. 218: *bei Lysias heisst es διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν, was ich nicht verstehe; es scheint sich auf einen in dem vorgelesenen, aber uns nicht erhaltenen Gesetze bestimmten analogen Fall, wo die Hälfte von dem Folgenden gesetzt war, zu beziehen.*

78) Eandem, ut hoc obiter moneam, *προαγωγείας* causam existimo, quam quum Plutarchus viginti drachmarum mulcta constitisse narret, Aeschines (adv. Timarch. §. 14 et 184) eidem *τὰ μέγιστα ἐπιτίμια* adeoque capitalem poenam proponit. Hanc discrepantiam postquam nec Meierus p. 333 nec Platnerus T. II, p. 216 satis expediverunt, Schellingius p. 91 Plutarchi auctoritatem cum Aeschine comparatam prorsus nullam censet; cautius mea sententia Frankius in Jen. Lit. Zeit. 1844, p. 740: *wahrscheinlich haben Beide Recht.*

79) Scite sic etiam Prantelius in Zeitschr. f. d. Alt. 1842, p. 1101 legis verba interpretatus est, nisi quod ad *βλάβης δίκην* refert, quod nobis ad *βιαίων* potius actionem revocandum videtur; cf. not. 82.

80) *Ἄνθρωπος* certe *ἐλεύθερος* etiam puerum ingenuum comprehendit; *παῖδα* autem etiam in opposito *servum* significare posse docet Demosth. adv. Pantaen. §. 50: *τίς δ' ἂν οἰκέτῃ παραχωρήσειε πολίτης τῶν ἑαυτοῦ; ἢ τίς ἂν φήσειεν, ὧν δίκην λαχὼν ἤρηκεν οὗτος Εὔεργον, τούτων καὶ τὸν ἐμὸν παῖδα ὑπεύθυνον εἶναι προςήκειν;*

cedunt, si eodem modo, quo publicam stupri persecutionem ad commune ὕβρεως crimen retulimus, privatam ejusdem vindictam cum βιαίων δίκῃ comparaverimus, quam quum et ipsam τιμητὸν et ita constitutam fuisse constat, ut aestimata pro laesi voluntate vi alterum tantum ad populum rediret [81]), eandem non reliquam magis vim quam stuprum comprehendisse certo antiquitatis testimonio confirmatur [82]). Illud modo quaeritur, quid sibi velit additamentum de melioribus, ἐφ᾽ αἷςπερ ἀποκτείνειν ἔξεστι, quod primo utique obtutu absonum videtur vel eas tantum mulieres hac lege tutas fuisse, apud quas deprehensum adulterum occidere liceret, hoc est ut Demosthenem sequamur, uxores, matres, sorores, filias, denique pellices, quas quis liberorum procreandorum causa haberet [83]), vel eadem lege, quae stupratorem sola mulcta afficeret [84]), ita potissimum mulieres definitas esse, ut deprehensus cum his occidi posse diceretur [85]); eaque re factum est, ut Marklandus, Reiskius, alii post ἐφ᾽ αἷςπερ inserendum censerent πείσαντας, Schellingius autem faciliorem medelam invenisse ratus ἐφ᾽ αἷςπερ οὐκ ἀποκτείνειν ἔξεστιν scriberet [86]); omnia tamen etiam salva codicum lectione expediri poterunt, modo et Plutarchi testimonium quanta par sit diligentia adhibeamus, et verba, de quibus agitur, Lysiae esse meminerimus, qui jam in antecedentibus pluribus exposuit, quando quibusque cum mulieribus deprehensum

---

81) Demosth. Mid. §. 44: ἂν δὲ μικροῦ πάνυ τιμήματος ἄξιόν τις λάβῃ, βίᾳ δὲ τοῦτο ἀφέληται, τὸ ἴσον τῷ δημοσίῳ προστιμᾷν οἱ νόμοι κελεύουσι.

82) Harpocrat. p. 62: βιαίων ὄνομα δίκης κατὰ τῶν βίᾳ πραττόντων ὁτιοῦν, ὁ δὲ ἁλοὺς ἀποτίνει εἰς τὸ δημόσιον ἴσον τῷ ἑλόντι .... καὶ δῆλον ὅτι οὐκ ἐπὶ φθορᾷ παρθένων μόνον οὔτε τὸ ὄνομα οὔτε ἡ δίκη ἐλέγετο, ἀλλὰ καὶ ἐπ᾽ ἄλλων.

83) Demosth. Aristocr. §. 53; cf. Taylor. lectt. Lysiac. p. 300—308 et Becker. Charikles T. II, p. 485 sqq.

84) Hoc enim significare verba ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι docte jam Marklandus ostendit comparatis Andoc. de Myster. §. 44. 79. 94, Demosth. Aristocr. §. 37, Dinarch. adv. Demosth. §. 44; adde Herod. VI. 56: αὐτὸν ἐν τῷ ἄγεϊ ἐνέχεσθαι, Demosth. adv. Macart. §. 57: καὶ οἱ πρότερον κτείναντες ἐν τῷδε τῷ θεσμῷ ἐνεχέσθων, titulosque in C. Inscr. T. I, p. 30: ἐπιάρῳ κ᾽ ἐνέχοιτο τῶν ταῦτ᾽ ἐγραμμένῳ, ubi plura Boeckhius, et T. II, p. 629: ἐν τῇπάρῃ ἔχεσθαι, ut et Aeschin. adv. Ctesiph. §. 121: ἐναγεῖς καὶ ταῖς ἀραῖς ἐνόχους.

85) Constructionem relativi pluralis cum singulari substantivi egregie illustrat Porson. ad Eurip. Orest. 910: αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι γῆν, hoc est *ex eorum genere qui*, ut Helen. 448: Ἕλλην πεφυκὼς, οἷσιν οὐκ ἐπιστροφαὶ et in Aristophanis fragmento apud Poll. X. 152: σάκιον, ἐν οἷςπερ τἀργύριον ταμιεύεται: adde Nubb. 1138: πᾶς γάρ τις οἷς ὀφείλων τυγχάνω, aliaque plurima apud Bernhardyum wissensch. Syntax p. 296. Non igitur opus est cum Prantelio l. c. p. 1100 scribi γυναῖκα καὶ ἐφ᾽ αἷς, praesertim quum nihil cogat ut γυναῖκα ad solam *uxorem* restringamus.

86) L. c. p. 90, repugnantibus tamen jam censoribus Funkhaenelio in N. Jahrbb. T. XXXV, p. 414 et Frankio in Jen. Lit. Z. 1844, p. 740.

adulterum occidere liceret. Legem enim, si ita concepta esset: ἐὰν δὲ γυναῖκα, ἐφ᾽ αἷσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστιν, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνεχέσθω, satis obscure locuturam fuisse facile concedo; longe vero alia oratoris causa erat, qui discrimen descripturus, quod legislator inter adulterium et stuprum vi illatum intercedere voluerit, iisdem mulieribus, quibuscum adulterum deprehensum impune occidi modo dixerat, stupratorem βιαίων tantum poenam debere narrat hisque verbis: ἐφ᾽ αἷσπερ ἀποκτείνειν ἔξεστι, auditores tantum ad rem modo expositam remittit; quibus verbis ubi in ipsa lege ex Plutarcho id substituerimus, quo ille legitimam hanc mulierum tutelam circumscriptam esse tradit: ὅσαι μὴ πεφασμένως πωλῶνται, omnia sarta tectaque fore arbitror. Nimirum in meretricibus et prostibulis nec stupri nec lenocinii actionem datam esse claris verbis Plutarchus testatur [87]); easdemque aliud testimonium earum numero eximit, apud quas adulteri occidendi potestas fuerit [88]); formulam tamen, qua hae in Solonis legibus describebantur, Lysiae aequalibus minus notam intellectuque difficilem fuisse ex ipsius oratione adversum Theomnestum cognoscimus [89]); quid igitur proclivius, quam hunc, ut simul explicatione auditoribus necessaria supersederet et discrimen, quod his inculcare vellet, ipso opposito manifestius faceret, honestas mulieres, quas solas utraque et adulterii et stupri lex respiceret, non meretricum exceptione, quae ad ipsius consilium haudquaquam pertinebat, sed ita designasse, ut has, quarum stuprum dupli poena expiaretur, easdem esse diceret, quas modo, quum de adulterio loqueretur, occidendi adulteri locum dare alterius legis testimonio comprobasset. Quanquam vel legem verbis ἐφ᾽ αἷσπερ ... ἔξεστιν uti potuisse patior, modo ἀποκτείνειν pro μοιχὸν λαβεῖν aut ab ipso legislatore aut a Lysia dictum esse statuamus, neque adeo nego vel si quis stupratorem in flagranti delicto deprehendisset, impune occidisse, si quidem tum certe tempus non erat sciscitandi,

---

87) V. Solon. c. 23, ubi post verba jam not. 73 laudata sic pergit: κἂν προαγωγεύῃ (cf. not. 78), δραχμὰς εἴκοσι, πλὴν ὅσαι πεφασμένως πωλοῦνται, λέγων δὴ τὰς ἑταίρας· αὗται γὰρ ἐμφανῶς φοιτῶσι πρὸς τοὺς διδόντας.

88) Demosth. adv. Neaeram §. 67: τόν τε νόμον ἐπὶ τούτοις παρεχόμενος, ὃς οὐκ ἐᾷ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ᾽ ἐργαστηρίου καθῶνται ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως, ubi sive cum Heraldo Animadv. p. 358 ex Harpocratione p. 39 πωλῶνται restituimus, sive cum Salmasio Observ. p. 753 et Beckero Charikl. T. I, p. 265 vulgatam tuemur, turpem quaestum et inhonesta mulierum genera denotari certum est.

89) Orat. I. §. 19, ubi quod πολῶνται pro πωλῶνται in optimo codice legitur, scite Westermannus ad Plut. V. Solon. p. 57 Solonis aetate longas brevesque vocales nondum scribendo distinctas esse monet, ut facile intelligamus jam tum ambigi potuisse, utrum *frequentare* (βαδίζειν, ut Lysias explicat) an *venalem esse* (quasi dicas *vĕnire* an *vēnire*) significaret; meretricum vero denotatio etiam sic certa est.

utrum is consciam an invitam mulierem invenisset, idemque suadet lex Areopagitica apud Demosthenem, quae nullo discrimine absolvit, ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ ἢ ἐπὶ παλλακῇ ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ: sed hoc ad nostrum additamentum parum interest, in quo hoc tantum agitur, ut definiatur, quarum mulierum nomine βιαίων δίκη contra raptorem vel stupratorem institui possit; nec si aut lex aut orator has ita descripsit, ut easdem esse innueret, apud quas virum in flagranti deprehensum occidi liceret, quisquam hoc ita detorquere poterat, ut occidendi licentiam ad totum stupri genus extenderet. Immo multo major Schellingianae lectionis ambiguitas est, cujus si quis verba interpretabatur, facile ad eam sententiam delabi poterat, ut earum tantum mulierum, ἐφ' αἷς οὐκ ἐξῆν ἀποκτείνειν, hoc est meretricum stuprum mulcta puniri, in reliquas, quae adulterii lege comprehenderentur, hujus legis tutelam omnino non convenire arbitraretur; neque adeo Reiskii interpolatio veram legis sententiam exprimit, quae etiam si revera verbis ἐφ' αἷςπερ ἀποκτείνειν ἔξεστιν utebatur, non hoc agebat, ut alios occidi alios mulcta affici juberet, sed eas, quibus stupratis dupli petitionem concedebat, eisdem finibus circumscribebat, quibus antea adulterii vindictam inclusisset; sive igitur Lysiam genuinam legis formulam servasse sive pro suo consilio paululum inflexisse statuimus, modo additamentum illud ita explicamus, ut honestas mulieres a meretricibus et prostibulis distinguat, nec lectionis mutatione, neque ullis interpretationis ambagibus opus fore arbitror [90]).

---

90) Neque enim illud reformido, quod quis fieri posse dicat, ut etiam inter honestas mulieres sint, in quas nullum eorum generum cadat, quae in lege de adulteriis enumerentur; immo ut mittam ipsa hujus legis verba ad nos non pervenisse, in omni jure Graeco hoc semper tenendum est, quod quum alii tum Deboorius über das attische Intestaterbrecht p. 32 ipseque Schellingius p. 107 prudenter monuerunt, *veteres legumlatores eorumque principem Solonem non, ut nuperrime quidam faciant, ex abstractis formulis leges tulisse, sed ex consideratione earum rerum, quas fieri verisimile esset et quae re vera evenissent.*